12

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO Dno Dno

VINCENTIO SPACCAPIETRA (+)

ARCHIEPISCOPO SMYRNENSI ET TOTIUS

ASIÆ MINORIS

VICARIO APOSTOLICO &C., &C., &C.

HOC DE ECCLESIA CATHEDRALI

BASILICA SMYRNENSI

AB EO SOLLICITA CURA ET SUMMIS LABORIBUS

EXAEDIFICATA

ET DIE XIV JUNII MDCCCLXXIV SOLEMNI RITU

CONSECRATA.

CARMEN

ANTIQUÆ NECESSITUDINIS ERGO

POËTA SUUS

NICOLAUS PERPIGNANI

Canonicus Hierosolymitanus

D. D. D. D.

SMYRNIS

MDCCCLXXIV.

(+) Emo, et Rmo D. D. Cardinali Morichini
Archiep. Bononiensi incomparabili
Viro divini et humani juris Scienti
Inter Poetas facile Principi
V. Spaccap. addictissimus

ARCHIEPISCOPO, ET CLERO, ET POPULO
SMYRNENSI

OMNIA FAUSTA ET FELICIA ! ! !

CARMEN.

Mensis erat Majus zephyri quo frigora solvunt,
Vernat avis, pubescit humus, frondesque virescunt.
Ast Ego Dædaleo vectus super Œquora curru,
Quem non monstra maris, non vela tumentia ventis,
Non desudantes juvenum per transtra lacerti
Sed vapor intus agit, fervensque lebetibus ignis,
Ut Phaëthon Nereusque per humida regna ferebar.
Iamque Palæstina et Libano post terga relictis,
Nostra, sub alarum plausu, crebroque rotarum
Verbere, vorticibus dum sese ingurgitat unda,
Cumque super montes vallesque volaret aquarum,
Appulit ad Smyrnas fumosa vaporibus alnus.
Egredior: planasque vias, et torta pererro
Compita, et Ioniæ lustro pedes omnia terræ.
Sole sub ardenti tandem, victusque labore,
Fessus eram, et molli projectus gramine circum,
Quo platanus patulis viridantem frondibus umbram
Præbebat, qua dulce Meles obmurmurat undis,
Carpebam somnos, jucunda oblivia vitæ.
Cum subito volitans, niger ipse, nigrantibus alis,
Et caliganti circumdatus ethere Morpheus
Visus adesse mihi atque oculos ter ductus inungens
Rore soporifero, ter verba precantia dixit.
Continuo apparent variæ sine corpore formæ,
Et tenues animæ, simulacraque inania somni:

En sacer Antistes cano venerabilis ævo,

Orat multa Deum et Matrem obtestatur amantem:
Summe Deus Genitrixque Dei, cælique potentes
Incolæ, ait, vosque o Smyrnensia lumina Divi,
Si mea vota valent, si vos mea gratia tangit,
Dicite quæ vestro sunt pignora digna favore
Quove suum vobis testari posset amorem
Nostra Diœcesis, signis ostendite certis.
Vir bene desierat, micuerunt nubila flammis
Et tonitrus Smyrnam, et totum tremefecit Olympum.
Filius e tonitru Boanerges exit, et ora
Constitit ante senis : confidentissime fratrum
Vincenti, dixit, factis vir maxime Præsul,
Magna petis; confide tamen, tua vota valebunt.
Iam celo placuit pietas tua, Magne sacerdos,
En Tibi jussa Dei pando, referoque relata.
Tu qui corda moves, et Spaccapietra vocaris,
Scinde reapse petras, et majestate decorum,
Et Smyrnæ dignum mihi qua potes extrue templum
Namque vides, Ephesi nostri vestigia templi
Nulla manent; Ephesus sceleris luit impia pœnas,
Famaque sacrilegis jacuit tumulata ruinis,
Et seges est ubi culta fuit spectabilis illa
Metropolis quondam, sed non ea fata manebunt
Ipsa tuæ Smyrnæ, quæ florentissima semper
Iam fuit, est, et erit, capiti semperque fidelis
Iunctaque erit Romæ Polycarpo Meque patronis.
Tu Me Discipulo Polycarpo junge Magistrum,
Cuique labore fui, sim consociatus honore.
Nec sine fenore erit labor hic tuus, optime fratrum,
Præmia magna Tibi, carituraque fine dabuntur.
Hæc Zebedæïades, vacuisque evanuit auris.

Protinus erigitur Senior, Superique Magistri
Jussa facit, prior ipse præit, verboque potenti
Extimulat populum, tremula prior ipse ferebat
Saxa manu, sequiturque Senem sacra turba virorum:
At cruce fulgentem, et lapidis sub pondere curvum

Pontificem ut vidit populus, vox omnibus una;
Incaluere animis, studiis concordibus omnes,
Dulce fuit comitare Senem sacrosque ministros.
Exemplumque sequi sermone potentius omni:
Una, dives inopsque ruunt, juvenesque, senesque,
Matronæque piæ, pueri, innuptæque puellæ,
Quam formicarum longum ruit agmen acervo,
Quisque suum lapidem manibusve humerisve ferentes.
Credideras fidei primordia tempora Christi
Adventasse iterum, tanto populosa calore
Per vicos, plateasque frequens exæstuat unda.
Tum sacer Antistes templi fundamina jactat.
Et benedicit ovans: vos, o de vertice cæli
Adspirate Patres, cœptisque accurrite nostris.
Ecce autem hinc binis lateralibus indeque tectis
Absidibus, media et major patefacta dehiscit.
Heu pietas! magno sistunt æraria sumptu,
Nec jam ferre pedem vel retro vel ante licebat.
Quid tibi tunc animi, desolatissime Præsul?
O quæ sollicito traxti suspiria corde,
O quoties lacrymis implesti lumina obortis.?

At mens Pontifici, et populo non deficit œgra,
Sed dolor et pietas calcar virtutibus addunt.
Thesauros en Smyrna suos bis præbet apertos.
Crescit opus, sed rursus opus stat sumptibus impar.
Lustrabat decies totum sol aureus orbem,
Templaque ludibrium pluviis ventisque patebant,
Sustinuitque parem cum Troja Smyrna laborem,
Quid sacer Antistes faceret? mora nulla, per orbem
Ibimus, inquit, opis stipes ut cogatur eundum est.
Jamque iter agreditur, zelo superante senectam.
Atque ubi Massiliam Lugdunumque aspicit urbes,
Smyrnæ cognatas,, o Tu, mea Gallia, dixit,
Tu mihi, Tu fer opem, Gallia Mater egentum,
Juncta fide, fratrum non unquam oblita tuorum.
Nostra fides est vestra fides, Ecclesia vestra

Nostra est, Smyrnensi Ecclesia Gallica debet.
Pro Te Smyrna suo viduata est Irenæo,
Pro Te Ferreolus, pro Te Ferrutio noster
Thyrsusque Andochiusque suum fudere cruorem,
Andeolusque, pari meritis comitante Benigno,
Perdocuit genuitque suo Te sanguine Christo.
Nonne Dionysius pro Te valedixit Athenis,
Teque sui pretio generosi sanguinis emit?
Lazarus, et comites rate te petiere sorores,
Atque alii, atque alii plures Orientis ab oris;
Audiit hæc Asiæ totius verba Minoris
Gallia Pontificis venerabilis ore loquentis,
Audiit, et generosa dedit pia Gallia nummos
Æreque collecto, tholus et laquearia fiunt
Desuper: ast iterum, en iterum crudelia retro
Fata vocant, vastæ ingenti si pondere molis
Deficit æs iterum sed non operosa voluntas.
Quantaque sit cari fiducia Præsulis, ecce
Indicat ingenium; sat opi est brevis hora ferendæ.

Alea sortis, ait, nostro diadema Ioanni
Imponet, curasque omnes complebit iniquas.
Eja agite, o populi, date pauca et sumite multa,
Eja agite, et nostræ, et vestræ succurrite sorti.
Utere sorte tua, centenis millibus æris
Dives eris quisquis, tua si fortuna secundet.
Hic iterum cœlo vox est audita tonante.
Macte animis, venerande senex Simeonis ad instar
Incolumis tibi vita manet, tua templa videbis,
Gaudebisque videns, sacrisque operaberis illic.
Inque cathedrali, tua jam micat infula sede,
Liber in immensa, et propria spatiaberis aula,
Et jam Smyrnensis circum glomeratur in orbem
Obsequiosa cohors, Polycarpi et sede receptus.
Præsuli amore suo populusque et clerus adhærens,
Non pecus agricolis servum, sed ut addecet illum,
Erigitur potiturque suo dignatus honore.

Talia me somno ludentem, et mente videntem,
Excutit ictus agens latus, et mea lumina pandit.
Protinus ante oculos cerno venerabile templum
Quo nullum majus, vel relligione verendum
Pulchrius aut extat totis Orientis in oris.
Ut vidi, ut stupui! non ergo hæc somnia vana
Exclamo, non sunt vacuæ sine corpore formæ.
Nec me per portam mea Musa eduxit eburnam.
En templum aspicio, et Te, Spaccapietra saluto
Et clero et populo Smyrnensi gratulor ore.
Vere hoc sancta Dei domus est et virgula templum.

Surge Melesigenes, et nunc mihi plectra ministra,
Tu mihi da lituum patria exercere camœna.
Immo vos, Divi, vos, o duo lumina Smyrnæ
Este boni, et vestro Vati adspirate canenti.
O Smyrna, o Smyrna Polycarpi Urbæ atque Ioannis,
Salve, Smyrna, mihi, bino jam sole refulgens,
Quis tibi tam valido cum sis munimine septa,
Et duplici circum clypeo protecta nocebit?
Pro Te Discipulis quæ dona potentibus unquam
Tam magni poterunt carique negare Magistri? (a)
Ecce tui in medio nova Christi Ecclesia surgit,
Ut surgit super alta Sion fortissima turris,
Surgit odorifero Libani ceu vertice cedrus
Ut vaga Palma cades, viridans ut oliva per agros
Consitaque ut platanus riguis frondosa plateis:
Ecce Redemptoris crucis insignita tropheo
Surgit ovans, substrata jacent ubi cornua lunæ,
Surgit et a terra caput inter nubila condit.

Hæc Tibi pulchra manet Smyrnensis Episcope, [Sponsa

(a) H. e. Ioannes discipulus Christi: Polycarpus discipulus Ioannis; Christus Magister Ioannis; hic Polycarpi.

Filia Barjonæ de nato nata columbæ (a)
Nam sine labe nives, et turgida lacte ligustra
Liliaque et lotas superat candore columbas.
Sponsa Rachel melior, bis septem acquisita labore
Annorum quos illa breves vis fecit amoris.
Debita jam meritis, jam curis debita Sponsa,
Spaccapietra tuis, qua non dubitabere dignus,
Quæ tua ni jam esset, te solo digna fuisset.

O nova Jerusalem cœlectis visio pacis
O nova nupta Deo, salve pulcherrima rerum.
O quæ majestas capiti, quæ gratia vultus!
O quis odor thuris Panchæi muneris efflat,
Et myrrhæ, et guttæ, et casiæ, et beneolentis amomi!
Si primo sic flore micas, sic luce refulges,
O quid eris, quando dotali ornabere mundo,
Cultaque prodieris, varioque ornata colore,
Ostro auroque rigens, gemmata monilia collo
Cinxeris, et quando, radiantibus undique mille
Fulgida lampadibus, sociaveris organa cantu?
Certatim cum te populus Smyrnensis amavit,
Muneribusque suis speciem compleverit omnem,
Publica suspendens pro certa vota salute?
Jam tua fama PII Magni pervenit ad aures,
Ille dat exemplum generoso munere primus
Marmore Mygdonio regali splendida luxu
Et doctis exculta fabris altaria mittit,
Reginamque creat, sacro et diademate ungit,
Chrismate sacratam, proprio quoque nomine adornat.
Rex PIUS ille suo Regno spoliatus et Urbe,
Carceris oblitus sæva inter vincula risit,
Et septingeminæ risere cacumina Romæ.

O super hanc Petram, primo fundamine Petro,

(a) Barjona significat Filius columbæ h c. Ecclesia hec est filia filii columbæ, seu S Petri seu Pontificis Romani, seu catholica Romana immunis ab omni hæreseos labe

Quam bene stas fundata domus! si Tartarus omnis
Ingruerit bello, si schisma atque hæresis una,
Omnigena irruerint fraude, et fumalibus ausis,
Et Phlegetonteus Bismarchus excitet iras,
Tu stabis, nullis Satanæ concussa procellis,
Clavigeroque Petro sine labe manebis inhærens.
Qualis in Hæmonio frondosa cacumine quercus,
Pondere fixa suo, spretis aquilonibus hæret
Vel qualis stat firma suis Marpesia rupes
Cautibus et qualis scopulus pulsantibus undis
Tempora labentur, transibunt sæcula, sed Tu,
Tu Vaticani stas immortale trophæum
Tu victrix hostes curru calcabis eburno.

At sacer antistes, Salomon velut alter in aula
Procumbens media, palmasque ad sidera tollens
Nec sine singultu et lacrymis, ita farier infit:
O Deus Omnipotens, venerande, colende, tremende,
Culmina celsa poli qui habitas, et respicis orbem
Sit locus iste tibi sanctus, Domus istaque sancta,
Quam Tibi sacramus, linitis chrismate sacro
Mænibus, atque tui titulo appellamus Amici (a)
Quisquis in hoc Templo, Deus, ad Te solverit ora
Et plagas animæ tibi pandat, et intima cordis
Vulnera, Tu populi sublimi ab vertice cæli
Vota precesque audi, peccanti et parce misertus,
Si pluviam aut panem petat et tua munera quærat.
Auxiliumque tuum, Deus, o Deus, annue votis
Votaque nullius sint irrita: Tu mala pelle
Omnia de Smyrna, populi miseratus et urbis,
Ignemque,horribilemque luem,terramque trementem
Comprime Dilecti meritis precibusque Joannis.

Hæc Senior; faxitque Deus! nunc alte volanti
Penna adsis, optata Tibi nova posside templa,

(a) Discipulus quem diligebat Jesus.

Patronum quem læta novum tua Smyrna salutat
O et Præsidium, et decus immortale Joannes.
Longos Pontificis nostri superadde diebus,
Jamque fatiscentem vitam lenito laborum
Fasce sub injusto, nutantesque erige vires,
Promeritosque para vitæ immortalis honores.

Et vos Pontifices hodierni Summa triumphi,
Qui mare fluctisonum, et vasti vada livida ponti
Transistis, nostræ pro Relligionis honore,
Vos quoque principium, vos finis carminis este.
Nomina vestra sacro signata volumine vitæ,
Nec præsens tempus nec postera deleat ætas:
Debita sit vobis cum Præsule gratia nostro,
Gratia sit clero, populo sit gratia Smyrnæ,
Gratia sit PIE NONE, Tibi, caput Urbis et Orbis
Pontificalis apex, Rex summe, et summe Sacerdos.
Gloria sit vobis Smyrnæ duo Lumina, Divi,
Patroni nostri Polycarpe, et Dive Ioannes,
Gloria Virgo Tibi, Tibi laus, Tibi gloria Christe.
Vos, precor et nostram numeris sex ista canentem
Pierin, ignito rursus super æquora curru
Meque vale Smyrnæ dicentem, ad nota referte
Littora Byzantî, et salvum deducite vatem.

FINIS.

Exarabat Smyrnis Nicolaus Perpiguani Alumn. Ven. Coll. Urbani Archibasilicæ Hierosolymitanæ Canonicus titularis et Miss. Applicus.